

que statim evomāt, aut deniq; *ἐν τῷ πνεύματι* seu personatā (ut ita dicamus) Fide,  
ita ab eis percepta, ut nec concoqui ad vitam, salutemq; ipsorum, nec digeri possint.

## CLX.

Hæc Junius; Quæ sicco pede præterire, quid est aliud, quàm committere evidentem divisi & truncati testimonii fallaciam, quam aliis frustra objectes. Nam qui ex propositione disiuncta membrum alterum categoricè pro se citat, nihil præter Authoris mentem facit, etiamsi omittat alterum. Exempli gratiâ. Rectius Chrysostomus Virtutes futuri seculi interpretatur de miraculis (quæ appendices sunt Doctrinæ, & testimonia manifesta futuræ gloriæ) quàm de sensu immortalitatis & cœlestis beatitudinis, ut aliqui faciunt, inter quos est ipse Chrysostomus, virtutes futuri Seculi de vitâ æternâ & cōversatione Angelicâ in altero membro interpretans, atq; ita sensum immortalitatis & cœlestis beatitudinis explicans; licet nominatenus non exprimatur; nedum ut ejus verba de pignore horum per Fidem à Spiritu accepto debeant intelligi, quoad Reprobos; quia in sua persona, hoc est Credentium, *accipimus* (inquit) *nō accipiunt*: Quo sensu pro nobis militat Chrysostomus. At quicumque Authoris mentem pervertit, & quædam pro se in alium sensum detorquet, quæ horum non tendunt, idq; sciens facit, illum mirandum est, sese hujus culpe, à quâ longissimè abesse debet, affinem ultrò reddere. Collatione igitur Junianâ minimè efficitur; quod intendebatur.

## CLXI.

Superfunt bina Petri loca; Primum cap. 2. v. 1. & 20. de abnegantibus Dominum, qui illos mercatus est, dicentis, *Eos inquinamenta Mundi per agnitionem Domini & Servatoris JESU CHRISTI effugisse, quibus rursus implicati superentur, facti à ultima conditione eorum deteriore priori*: unde simpliciter nōnulli sanctificationem internam cordis propter effugium inquinamentorū Mundi inferunt. Sed cum expressè dicatur PER AGNITIONEM Domini; Item: *Satius enim fuisset eis NON COGNOVISSE viam Justitiæ, quàm COGNITA ILLA regredi à sana doctrina ipsis tradita, quatenus inquinamenta Mundi effugerint, patet, nempe ratione cognitionis doctrinæ, atq; ita non nisi mente tenus, non verò voluntate, sanctificatōve corde.*

## CLXII.

Postremò, quia 2. Petri 2. v. 17. *Opponuntur in doctis parumq; stabilibus, detorqueñtibus Scripturas suo ipsorum exitio, Dilecti, qui non tantummodò hæc præscire, sed etiam custodire se jubentur, ne illorum nefariorum errore abducti excidant à propriâ stabilitate* (quò etiam verba Apostoli Pauli, Heb. 10. 35. pertinent dicen-